

05 A 471

05
A
471

IN NOMINE JESU!

DECANUS
THEOLOGICÆ FACULTATIS,
IN ELECTORALI WITTENBERGENSIUM
ACADEMIA,

JOHANNES Deutschmann/
DOCT. ET PROFESSOR PRIMAR.
COLLEGII THEOL. SENIOR, TEMPLI
PRÆPOSITUS, ET ALUMNORUM
ELECTORALIUM EPHORUS,

OMNIBUS, ET SINGULIS,
LECTORIBUS,

EX HEBR. XII. 22. seqq.

JURA, PRIVILEGIA,
NEC NON AXIOMATA
CUNCTA,

MYSTICÆ CIVITATIS,

ECCLESIAE,

COELITUS,

SUIS PRECIBUS DEVOTISSIMIS,

PUBLICO PROGRAMMATE

DEFERT!

IN NOMINE JESU!



05 A 471
 Ccesistis ad Sion montem, & ad Civitatem Dei Videntis, Hierusalem caelestem, & multorum milium Angelorum frequentiam, Et Ecclesiam primitiorum, qui conscripti sunt in celis, & judicem omnium Deum, & Spiritus iustorum perfectorum, & Testamenti Novi Mediatorem, Jesum, & sanguinis adspersionem, melius loquentem, quam Abel, sunt aurea Sancti Spiritus verba, quibus jura, vel Privilegia Christianorum, & mystica Civitatis eorum, plenissime describit, Hebr. XII. 22. 23. 24. Plurima quidem ex his verbis ponderissimis Mysteria notare possemus, cum in iis eorum maxima multitudo reperiatur, sed haec occasione solenni, nobis oblata, nonnulla saltem, ex Oraculo laudatissimo, Privilegia colligemus. Septenarium vero sacrum Illustrissimum Privilegiorum Spiritus S. producit. I. Privilegium Christiane, vel Spiritualis Accessionis, vel ambitionis. Honor Christianorum maximus, vereque divinus est, dum jura Civitatis Dei possident, & Privilegia divine communionis obtinent, ac in Titulis Spiritualium Prophecarunt, Sacerdotum, atque Regum, resident. Quis ad tantos Honores non accederet? Quis ambitione salutaris caritas dignitates non expeteret? Natura corrupti sumus Homines, & nihil boni, nihil dignitatis possidemus. Omnes peccaverunt, & carent Gloria Dei, Rom. III. 23. Sed ostendit nobis Deus misericordie vias, & aperit salutifera gratia januas, ut ex Regno Satanae, in Regnum Messiae, vel Jehova, ex Civitate Malignantium, & Diaboli, ad Civitatem fideliuum, & ipsius Dei, revertamur. Tempore prisci Foederis quoque vivebant homines sub lege, sub umbris, sub tempestatibus, turbinibus, tenebris, & procellis, sed de Christianis Spiritus Sanctus testatur, & Paulus in Domino gloriat, v. 18. Non accessistis ad contactum montem fulminibus, & accensum ignem, & turbinem, & caliginem, & procellam, v. 19. Et tuba sonum, & vocem verborum, quam, qui audierunt, deprecati sunt, ne eis fieret verbum, v. 20. Non enim portabant, quod dicebatur, & si bestia tetigerit montem, lapidabitur, aut jaculo configetur, v. 21. Et ita terrible erat, quod videbatur.

Moses

Moses dixit, exterritus sum, & tremebundus. Hos terrores,
hos tremores, hos ignes, & hæc fulmina, vel alia terricula-
menta, non amplius Christianos exercent, sed potius liberi
sunt ab his omnibus malis; Christianæ filiationis, & libertatis
sunt, & ad Deum, Dei, Civitatem, summa trāponia semper
accedere possunt. Et hoc nobis ostendit Apostolicum illud
ACCESSISTIS! Jura Mystica Civitatis, Privilegia, cum o-
mnibus Dignitatibus filiorum Dei, sunt ipsis destinata, sunt
ipsis parata, **VENITE, VENITE!** Sequitur accessum, per Ver-
bum, & fidem, II. Privilgium spiritualis immatriculatio-
nis. Matricula spiritualis Civitatis nulli clauditur. Pater
Misericordiarum, II. Cor. I. 3. venientes omnes patentibus
amplexibus excipit; Christus Jesus, omnes, ut Cives, imo fra-
tres, recipit, clamans inde sinenter: *Venite ad me omnes, qui
laboratis, & onerati estis, Ego reficiam vos,* Matth. XI. 28. Spi-
ritus Sanctus, tanquam Scriba principalis, calamo promtis-
simo cunctos Matricule Civitatis, sine dono, sine precio, gra-
tis inscribit, Ps. XLV. 1. Sic immatriculati Christiani in privi-
legiis, & immunitatibus mysticæ Civitatis gaudent. Conspi-
cimus igitur III. Privilgium spiritualis Inhabitationis: Ac-
cessisti ad Sion Montem, & ad Civitatem Dei Viventis, Hie-
rusalem Cælestem. Magnum in terris privilegium esse vide-
tur, si nobis habitatio non inter bestias in sylvis, nec inter ru-
sticos in vicis, & pagis, nec inter homines in cultos in parvis
Oppidis, sed in magnis Civitatibus, inter politos, & virtutibus
ornatos Cives contingat: Major illorum æstimatur Honor,
& Gloria, qui Metropolin alicujus Principis, Regis, aut Impe-
ratoris, incolunt: sed quid de Civibus illis dicendum erit,
qui non terrestris, vel mundani Regis, sed potius Regis Regū,
& Domini Dominantium, Apoc. XVII. 14. XIX. 16. Aulam inha-
bitant, & in ea Domicilium angustum acquirunt. Maximidi-
citur id Honoris, summæ Gloriarum Spiritus S. in honorem Chri-
stianorum undiquaque; titulos Civitatis colligit, & appetitum

sincerum in iis accedere contendit. Illustrem a. Gradatio-
rem in titulis cumulandis adhibet, & ternarium, perfectio-
nis numerum exhibet. Primus titulus ab illustri Typo Civi-
tatem hanc commendat; Ad montem Sion accessit. Mons
Sion erat Arx Davidis, Domicilium Regum Iudaicorum, Typus
Ecclesiae N. T. Singula hæc Elogia maxima pariunt medita-
tionum pondera, sed ea nunc ponderare non licet. Secundus
Titulus ab Illustrissimo Domino commendabilem hanc Civi-
tatem reddit, dum Civitas Dei Viventis appellatur, & pecu-
liariter ad Ecclesiam militantem N. T. respectus habetur, qui
Titul⁹ majorem præ Typo V. T. Gradum refert. Terti⁹ Titulus
ab Eminentissimo loco, vel Regno, laudē, & commendationem
Civitati conciliat, dum Hierusalem Cœlestis appellatur, quo
nomine potissimum Ecclesia Triumphans attenditur, quæ
supremum Ecclesie Gradum citra dubium insinuat. O Cives
fortunatos, qui domiciliū in hac inveniunt Civitate, quæ tot
Encomiis omni jure superbire potest. IV. Privilegiū Spiritua-
lis Conversationis. Amœnitatem quidem variam, situ, statu,
& aliis quibusdā externis, Civitates incolis suis afferunt, sed
bonesta, jucunda, vel amabilis Civium, amicorū, & Vicinorū,
conversatio, talia superat. Christiani fideles accesserunt ad
multorum millium Angelorum frequentiam, quorum con-
versatio dulcedinem omnem transcendit, & homines extra
se quasi rapit: accesserunt itidem ad Ecclesiam primitivorū,
& innumeram multitudinem Electorum: tandem accesser-
unt ad Spiritus justorum perfectorum, & conversationem
beatarum Animarum. O Gloriam supra Gloriam! O latitā,
supra latitiam! V. Privilegium Spiritualis Gubernationis,
dum accesserunt ad Judicem omnium DEUM. Deus n. Glo-
riosus, est & universalis omnium hominum Gubernator, &
Universalis omnium Bonorum Autor, & Conservator, & uni-
versalis omnium Malorū Judex, & Ultor. Hinc non aliud in
hac Civitate sceptrum gerit, & ordine pulcherrimo cuncta
dispo-

disponit, & innumera gaudia Christianis Civib⁹ parit, quam
ipse Deus. VI. Privilegium Spiritualis Mediationis, quia Cri-
stiani Cives etiam accesserunt ad Mediatorem N. T. CHRI-
STUM JESUM, qui sua Mediatione Civitatis Mysticæ Fun-
dator est, & Autor, imo non tantum Autor, sed etiā Auctor,
Stator, & Conservator, Dominus, & Rex, omnis Glorie, Psal.
XXIV. 8. 10, qui Christianis, tanquam membris sui Corporis,
præstet, & Honores, atque Dignitates inestimabiles, & ine-
narrabiles, indesinenter parat, & communicat. VII. Pri-
legium Spiritualis, & Officialis Interpellationis, dum non
tantum Mediator est à priori, sed etiam Advocatus, auxilia-
tor, & Interpellator, est à posteriori, siquidem Catholicam, &
mere magnum, imo prorsus admirandum ejus Patrocinium.
Christiani Cives homines sunt, & à se humani nihil alie-
nū esse deprehendunt, cum variis infirmitatibus, & casibus,
obnoxii sint. At si quis peccaverit, Advocatū habemus apud
Patrem, judicem, Jesum Christum, justum, qui propitiatio
pro peccatis nostris est, non pro nostris autem tantum, sed etiā
pro totius mundi peccatis, I. Job. II. 2. Hic semper sedet à
dextris Patris, & pro nobis intercedit, Rom. II. 9. 34. Hujus
sanguis, & ejus adspersio, longe melius, imo longe clarior,
& plenius, longe durabilis, & efficacius, clamat, quam Abelis
sanguis, omne patrocinium peccatoribus præstat, & omnem
salutē parat, confirmat, & consummat. O quam multa, &
quam magna de Sangvine hoc Propitiatorio, velexpiatorio,
dici possent! Sed illa pluribus ex h. l. persecuturus est MA-
XIME REVERENDUS, AMPLISSIMUS, & PRÆCEL-
LENTISSLIMUS, DN. M. JOH. CHRISTIANUS ADAMI,
LUCCA LUSATUS, ARCHIDIACONUS ECCLESIAE
PATRIÆ MERITISSIMUS, SS. THEOLOGIAE CAN-
DIDATUS DIGNISSIMUS, AMICUS, ET IN CHRI-
STO FRATER HONORATISSIMUS, in cuius Honorem
ista nunc scribimus. Hic enim, cum in Ecclesia Luthera-

na concionibus non modo, sed & scriptis publicis, dudum
innotuisse, & præclarum sibi nomen quæsivisset, his die-
bus, & REVERENDISSIMI, ATQVE SERENISSIMI
PRINCIPIS, AC DOMINI, DOMINI CHRISTIANI
SECUNDI, DUCIS SAXONIAE, JULIÆ, CLIVIÆ, AC
MONTIUM, ut & ANGRIÆ, ac WESTPHALIÆ, &c. &c.,
ac ADMINISTRATORIS MARTISBURGENSIS EPI-
SCOPATUS, DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI,
Literas Systaticas ad Collegium nostrum datas attulisset, &
simul etiam admissionem ad Specimina consueta Licentii-
andorum modestè petiisset, & multis gravissimis de cau-
sis omnem in hoc negotio favorem obtinuisse, ex hoc O-
raculo *Lectiones Cursorias*, ut vocant, expediturus, & plu-
ribus in Auditorio publico de Mysteriis arduis, in eo traditis,
verba facturus est: ideo nos ab hujus Oraculi copiosiori
declaratione digredimur, & ad Vita Curriculum, ex vetusta
consuetudinis Lege, statim progredimur. Natus est CAN-
DIDATUS NOSTER in Metropoli Lusatorum Inferiorum,
quam Luccaviani salutant. Natalis ipsi munere cælesti
contigit Januarij tertius, & decimus dies, Anni M DC LXII.
Ex fato divino Parentes Primaria Dignitatis est consecutus,
quos per Dei gratiam adhuc inter vivos cultu filiali vene-
ratur. Pater ejus VIR NOBILISSIMUS, & AMPLISSI-
MUS, DN. BALTHASAR ADAMI, Reipublicæ Luccavi-
ensis Consul, præclare meritus, qui Filium hunc suum è
NOBILISSIMA, VIRTUTIBUSQUE SEXUS SUI FLO-
RENTISSIMA, FOEMINA, ANNA MARGARETHA
LANGIA, VIRI AMPLISSIMI, ET INTEGERRIMI, DN.
JUSTINI LANGII, PRIMARII CIVIS, MERCATORIS,
& BENE MERITI SENATORIS, FILIA, per divinam
benedictionem edidit. Novum Dei donum pios Parentes
ad curæ singularis officium novum invitabat. Hinc non
modo donum hoc ingens naturalis generationis, ex pater-
na Dei

na Dei manu suscipiebant, sed etiam, per Baptismum, spiritualis regenerationis lavacrum, Deo puerum datum grato pectore reddebat, salutem ejus hac ratione promovebant, & Spiritui Sancto, tanquam inhabitationis mysticæ templi, & donorum ejus Ergasterium piis precibus ipsum offerebant. Neq; Pietas hæc Religiosorum Parentum nullum vidit evenatum. Deo quod religiose consecratur, illud multiplici benedictione corotatur! Sic etiam Parentes Optimi statim primis infantie mensibus, & annis, in Filiolo suo, per Dei gratiam, & bonitatem indolis, & sagacitatem mentis, & capacitatem ingenii, cum aliis divinæ benignitatis munib; bus, observarunt. Nihil igitur ejus omiserunt, quod ad ubiorem horum bonorum culturam, & informationis privata curam faceret, sed operam in omnibus sedulam adhibuerunt. Schola Patrie Publice datus Alumnus, quam primum etas tenuior id ferebat, neque tamen privata per Pedagogos cessavit industria. Gratulatur sibi Nostris de Fidelissimis Praeceptoribus, Rectore, DN. M. CHRISTIANO CRUCIANO, de Con-Rectoribus DN. M. JOHANNE ZIMMERO, & DN. JOHANNE SAMUELE SCHAPER, t.c. optime de Re Scholastica merentibus, nunc autem in Vinea Domini strenue laborantibus; horum siquidem diligentia, vigilancia, dexteritate, & fidelitate, profectus eos, in studiis pietatis, bonarumq; literarum, ut & moribus honestis, sibi comparavit, ut ex judicio Praeceptorum, & consilio DN. PARENTIS, & in primis suffragio Viri Maxime Reverendi, & Amplissimi, DN. DAVIDIS GRAFUNDERI, b.m. Ecclesie Luccaviensis Pastoris Primarii, Consistorii Ducalis Ecclesiastici, quod Lubena floret, Assessoris, & Schola Luccaviensis Inspectoris, (qui sua benevolentia privatis etiam ADAMI NOSTRI Scudia, præsertim quoad Hebreas, & Græcas literas, non parum adjuvit, qvod grata mente recolit,) ad alias terras, & ad Majores Scholaras, suo cum fru-
studi-

etu dimittebatur esset. Hanc ob causam Altenburgensis
Gymnasi fama Superioris commoti, Nostrum eo destinarunt,
ut ex Gymnasticis Exercitiis sibi pleniorum ad Academias
habitudinem acquireret. Venit huc An. M DCLXXIX.
& consueta, sibiq; propria diligentia, res suas egit, atq; lite-
ras, quas humaniores vocant, perficere studuit, & ad hunc
finem obtinendum constanter ad pedes DN. M. MARTINI
SAGITTARII, Rectoris Meritissimi, sedit, ac omnibus cona-
tibus ad majorem perfectionem contendit. Majores etiam
ibi fructus studiorum industria sua laudabili collegisset,
nisi Rectoris laudati morbus gravissimus impedimento
fuisse. Nam cum ex voto, propter hoc impedimentum, ad
studiorum metu properare non posset, ex consilio AM-
PLISSIMI DN. PARENTIS, solicitas pro solidioribus Filii
profectibus curas agentis, à MAXIME REVERENDO DN.
M. GRAFUNDERO, Cuſtrinum, quod Nobilissimum Mar-
chie Castellum, ablegatus, & Clarissimo Viro, DN. MARTI-
NO ZUCKERO, Rectori, florentis tum temporis Schola,
fidelissimo, de meliori commendatus est. Hic Vir Opti-
mus strenuam operam omnem adhibuit, & per omne stu-
diorum genus CANDIDATUM Nostrum, ad labores alias
paratissimum, felici cursu duxit, ut facilem ad Academias
accessum inveniret. Elegit præ cæteris Nostram WITTE-
BERGAM, quam, cœu Studiorum suorum Matrem, coleret,
& per omnem Vitam magni faceret. Venit ad Nos, non
absque nutu divino, dum & internam apud se cordis incli-
nationem sentiret, & Parentum, Patronorum, atque Prece-
ptorum, constantem in eo consensum non semel audiret.
An. M DCLXXIX. RECTORI t. t. MAGNIFICO, DN. D.
GODOFREDO STRAUSSIO, JCTO, hodie Juridice Fa-
cultatis ORDINARIO, & ELECT. ac PRINC. ANHALTIN.
CONSILIARIO, &c. fidem Academicam dedit, atq; iura cum
Privilegiis Universitatis accepit. Beneficium publicorum
pri-

privilegiorum acceperat, ad officium ergo laborum, & Studio-
rum promptus accedebat, dum firmiter animo statuebat,
quod Beneficium detur propter officium. Omne preinde
studiorum Academicorum officium intendere non solum, aut
verbis prætendere, sed omnibus viribus attendere, propo-
sito firmissimo secum decrevit. Ne vero per consortium
malorum ab hoc instituto, vel statim sub accessu, vel etiam
successu temporis avocaretur, B.DN. ANDREÆ SENNER-
TI, totius Academia SENIORIS, & Prof. LL. OO. Publici, tum
domicilium, tum convictum, elegit, & in contemplatione
Virtutum Tanti Viri, per omnem Vitam Academicam, con-
stanter permansit. Prudenter autem Studiis suis consule-
re voluit, dum per Apparatum Philologie, & Philosophie, con-
suetum, ad SS. Theol. Studium sibi viam parare constituit:
Illas ut non adeo difficulter, sed satis feliciter penetraret,
manu ductorum operam adhibuit. Primum igitur Præ-
cellentissimos Dnn. ADJUNCTOS lectatus est, & in primis
DN. ADJUNCT. M. JOHANNEM WOLEIUM, post SS.
Theol. Doct. Et Pastorem Wernigerodanum, totiusq. Comita-
tus Superintendentem, & DN. ADJUNCT. M. GEORGIUM
SCHWARTZIUM, itidem Mox SS. Theol. Doct. & Primari-
um Stargardia Pastorem, atque Prepositum, t. t. in celebri-
tate Studiorum i storum versantes. Adjunxit statim EXCEL-
LENTISSIMORUM quoque DNN. PROFESSORUM la-
bores Philologicos, & Philosophicos, ut ex illis uberrimos stu-
diorum fructus sibi colligeret, qua de causa perpetuam in-
dustriam probavit Venerando DN. HOSPITI, DN. CONR.
SAM. SCHURZFLEISCHIO, DN. CHRISTIAN. DONA-
TI, & Reliquis Prof. Publicis, & in Scholis Ipsorum has Erudi-
tionis copias coegit, ut illæ neutiqvâ intra privatos parietes
contineri possent. Confidenter in publicû illæ prodierunt,
& felicibus praliis victoriam ex Victoria retulerunt. Primum
enim Eruditam de Imputatione Moralium Actionum Dispu-

zationem conscripsit, & sub Presidio, t.e. Præcellent.Dn. Adj.
M. REMLINGII, postea Gryphius Waldia Log. & Metaphys. Prof.
Ordin. & SS. Theol. Extraord. cum laude masculine defendit.
Mox in variis Examiniis, & aliorum laborum periculis, ad
Summos Philosophorū Honores obtainendos, res suas optime
gessit, & Anno MDC LXXXI, sub Brabevta DN. SCHURZ-
FLEISCHIO, MAGISTERII Titulum meruie, non ad am-
bitionem, sed ad laborum utilissimorum multiplicationem.
Nam & Labores pariunt Honores, & Honores contendunt
ad Labores. Hinc Noster sub Presidio EXCELLENT.DN.
DONATI, per πονιλογίαν την Philosophicum, cum applau-
su publice ventilatum, & potestate privati Lectoria, & Pu-
blici Presidis, sibi, consentientibus Patrum suffragis, acquisi-
vit, & pluribus Eruditionis solidioris documentis, utpote De
Gradibus Necesitatis, De scientia nihil sciendi Socratica, De
Osculo Papae, &c. famam non vulgarem in Academia peperit.
Sed hæc, & alia potissimum ad Theologie culturam tendebant,
& vario certamine contendebant. Hæc enim prora, puppis ve
Studiorum omnium Eidem erat. Hanc in scholis amaverat,
hanc in Academicis Exercitiis, atque curriculis, suæ felicitati
destinaverat, hanc totius vite metam semper ordinaverat.
A primis igitur Academicæ vite diebus Theologia fuerat Al-
pha, fuerat Omega. Semper hoc in deliciis habuit, ut in-
ter Auditores Theologorum non modo scriberetur, sed inter
Eorum diligentissimos Admiratores recenseretur. Inter
præcipuas vite sua felicitates numerat, quod Theologos
summos audire, Beatisssimosq; Viros, nim. B. CALOVUM,
B. MEISNERUM, B. QUENSTEDIUM, nunc inter Beatos
Calites triumphantes, instar Preceptorum, venerari potue-
rit, ex quorum ore SS. Theologia Mysteria, variis in scholis,
cum voluptate summa percepit. De Meis certe Colle-
giis, tam privatis, quam publicis, testari possum, quod in
iis perpetuum, quamdiu nobiscum vixit, se Commilitonem
exhi-

exhibuerit. Neque vulgarem Studiosorum diligentiam, præ se ferre tum mihi videbatur, sed potius eorum Vigilantiam masculam æmulabatur, qui suo tempore, vel inter primos, vel inter medios, in Ecclesia computandi suo merito dicebantur. Spiritus enim Sanctus in Filiis etiam Prophetarum sua dona, cum primis Ministrantia, coronare consuevit. Et, si Deo visum ita fuisset, & in Philologicis, & in Philosophieis, & in Theologicis, ad ulteriorem perfectionem, Noster Academica sua Studia lubens evexit, præsertim quia Gratia singularis REVERENDISSIMI, AG SERENISSIMI PRINCIPIS, AC DOMINI, DOMINI CHRISTIANI I. BEATISS. RECORDATIONIS, DUCIS SAXONIAE, JULIAE, CLIVIAE, AC MONTIUM, NEC NON ANGARIAE, ET WESTPHALIAE, &c. &c. POSTULATI MARTISB. ADMINISTRATORIS, accedebat, quæ lautu satis Stipendium Ejus Studiis clementissime decernebat. Vota cuncta Nostrum eoquecebant, ut hac Gratia Munificencia frueretur, & Academicam Studiorum, Theologicorum in primis, telam prosequeretur. Sed aliter id Fata disponebant. Nam An. M DC XXCIV. PATRIA Dilectissima, præter omninem opinionem, Eudem, ad altiora contendenti, Diaconatum offerebat. Dilectissorum etiam Parentum, & Necessariorum, Voluntas annuebat. Alia multa pariter id urgebant. Habebat autem Ipse plurima, quæ contraria suadebant sententiam. Sed Ipse precibus devotissimis causam hanc sanctissimam Deo committebat, & Directi nisi divina mox calculum subjeciebat. In militia mundana Duces optimi censemur, qui functionibus insimis in re bellica primum adfuerunt, & in omnibus experientiam sibi probatissimam acquisiverunt. Sic in Dei Nostris militia pariter à minimis inchoasse pulcherrimum. Neque divina Benedictio laudabilis desuit obsequio. Nam & Patriæ jucundissimæ sacra, vereque grata præstit Ministeria, Paterna Familia pluri-

ma

ma peperit gaudia; Domum ornavit Nobilissima Virgine,
MARIA CATHARINA, VIRI AMPLISSIMI, ET PRU-
DENTISSIMI, DN. JOH. FRIDERICI EXII, Judicis Luc-
cavensis, & Ducalium Redituum Prefecti, Laudatissima Pri-
mogenita, Munus Sacrosanctum Anno 1692. Archi-Diacona-
tus accessione condecoravit, & Labores sanctos Scriptorum
Publicorum elaboratione ditavit; sicut jam Edita sunt ad Pu-
blicum Ecclesiarum, & fidelium usum, Explicatio Prophe-
tie Jona, Concio Penitentialis, ex Jerem. VI. 8. Dissertatio
contra Crypto-Predicantes, Meditationes in Ecclesiasticum,
Canticum, HErr IEsu Christi meines Lebens Licht; & jam
ad Prælum, Deodante, properant, Tractatus de Impossibili-
tate salutis extra Christum, contra Scriptum scandalosum,
sub Tit. Brüderliche Liebe/ 1689. edit. Lux Biblica selectissimorum
Dictorum Biblicorum, quoad brevem, & perspicuam Explica-
tionem, Lutheranorum Doctrina, & Vita, Meditationes
Homiletica in Canticum, O IEsu Christ du höchstes Gut/
Pratum viride Confidentis animæ, seu libellus precum, in-
Confessione, & Iusu Cœnæ, adhibendus, &c. Commovit
hoc REVERENDISSIMUM, ac SERENISSIMUM DO-
MINUM, DN. CHRISTIANUM II. DUCEM SAXON.
JULIÆ, CLIVIÆ, MONTIUM, ANGARIÆ, ET WEST-
PHALIÆ, POSTULATUM ADMINIST. EPISCOP.
MARTISB. &c. &c. DOMINUM NOSTRUM CLEMEN-
TISSIMUM, ut & ulteriore promotionem CANDIDATO
NOSTRO promitteret, & Gratiissimas ad Collegium No-
strum Literas, pro Licentiatura Ejus, scriberet, quam etiam
Ipse modestè petiit. Admissus igitur Oratione solenni, Die
Martis, Per die, Horæ IX. Specimina, conservata LICENTI-
ANDIS, auspicabitur, ad quam Panegyrin MAGNIFICUM
DN. RECTOREM, PRÆILLUSTRES DNN. BARONES,
Academici Patres, & Cives, ac alios Hospites, eo, qua pars est,
affectu, solenniter invitamus! P.P. Domin. IV. post
Trinit. Anno M. DG XCIV.

05 A 477

ULB Halle
004 209 311

3



Vb17
04



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



IN NOMINE JESU!
DECANUS
THEOLOGICÆ FACULTATIS,
ELECTORALI WITTENBERGENSIUM
ACADEMIA,
HANNES Deutschmann/
ACT. ET PROFESSOR PRIMAR.
LEGII THEOL. SENIOR, TEMPLI
RÆPOSITUS, ET ALUMNORUM
ELECTORALIUM EPHORUS,
MNIBUS, ET SINGULIS,
LECTORIBUS,
EX HEBR. XII. 22. seqq.
JURA, PRIVILEGIA,
NEC NON AXIOMATA
CUNCTA,
MYSTICÆ CIVITATIS,
ECCLÆSIAÆ,
COELITUS,
SUIS PRECIBUS DEVOTISSIMIS,
PUBLICO PROGRAMMATE
DEFERT!